



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Sessio XXX. In qua Concilium approbat subtractionem obedientiae factam  
per regem Aragonum ipsi Petro de Luna.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

ANNO  
CHRISTE  
1416.

*Ordinatio lecta super contumacia domini Petri de Luna.*

Hæc sacrosancta Synodus præmissa, proposita & petita per aduocatum consistorialem admittit, si & in quantum sint admittenda de iure: & mandat notariis eiusdem Synodi & causæ præsentis, proposita, petita & producta huiusmodi, atque vocationem & relationem præmissas. Et quod idem dominus Benedictus sic vocatus & sufficienter expectatus, minime comparuit, nec comparet, redigi inter acta. Et de præmissis fieri publica instrumenta, quotquot fuerint opportuna, vt eadem Synodus super præmissis deliberet, iudicet & decernat, prout de iure fuerit faciendum: quam deliberationem dicta Synodus sibi retinet faciendam, quando sibi visum fuerit opportunum.

Qua lecta, idem dominus præsidens pro toto Concilio respondit, Placet. Et quod vox præidentis sit vox totius Concilii, quando primo de consensu omnium nationum constiterit. Namque propter discordiam nationum Hispanicæ & Anglicanæ, quæ prior responderet pro toto Concilio, Placet: & de aliis prærogatiuis fuit per nationes & cardinales ordinatum, quod præsidens responderet pro toto Concilio, Placet. Et ad hoc super quolibet actu fiendo haberet consensum cardinalium, & schedulam illius actus signatam per notarios nationum, & conferret cum lectura quæ fieret.

SESSIO XXX.

*In qua Concilium approbat subtractionem obedientiæ factam per regem Aragonum ipsi Petro de Luna.*

**D**IE Mercurii decima supradicti mensis Martii fuit sessio generalis in maiori ecclesia Constantiensi solenniter celebrata. In qua quidem sessione reuerendus pater dominus \* Stephanus episcopus Cephaldulensis officium Missæ de Spiritu sancto deuote decantauit: & reuerendissimus in Christo pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & vicecancellarius, huiusmodi sessione præsedit. Interfuit etiam serenissimus princeps dominus Sigismundus Romanorum & Hungariæ rex, cum multis sibi adstantibus principibus. Et lectis litanis, ac aliis deuotis orationibus cum euange-

*Concil. Tom. 29.*

Yyy ij

\* Anto-  
nius

Lnc. 18.

lio: *Dixit Iesus discipulis suis, Quoniam oportet semper orare, & non deficere, &c.* nuntii & oratores Concilii, qui fuerant per Concilium ad hoc destinati, fecerunt relationem per organum domini Bernardi de \* Planca decretorum doctoris, quomodo in castro Paniscolæ Dertusensis diocesis cum fauore & auxilio illustrissimi principis domini Alphonsi regis Aragonum fuerant, & Petrum de Luna Benedictum decimumtertium in sua obedientia nuncupatum, in propria persona apprehenderant, ac quod ipsum citauerant iuxta formam & tenorem citatorii ab ipso Concilio decreti. Ipseque Petrus de Luna responsionem dederat, prout hæc & alia in ipsis instrumentis per dictum dominum Bernardum exhibitis, ac de verbo ad verbum perlectis, plenius continentur. Promotores vero Concilii petierunt apud acta registrari. Post hæc autem venerabilis vir dominus Petrus de Lompurga in decretis licētatus quamdam decreti schedulam perlegit tenoris subsequēntis.

ANNO  
CHRISTI  
1416.\* Plan-  
chea  
\* Plan-  
thea

*Concilium approbat subtractionem obedientie factam  
per regem Aragonum.*

*Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis in Spiritu sancto  
legitime congregata.*

Quoniam inter alia virtuosa & laude digna, quæ piæ memoriæ quondam Ferdinandus rex Aragonum & Siciliae pro extirpatione execrandi schismatis, quod ab octo fere lustris citra non permisit ecclesiam catholicam sub vnico gubernari pastore, dignoscitur peregisse, ordinationem quamdam aduersus idem schisma & pro vnione ecclesie catholice feliciter consequenda eum promulgasse cognouimus; eadem sacrosancta Synodus Constantiensis, causis & motiuis in præfata ordinatione expressis plene inspectis & diligenter examinatis, de quorum veritate facta extitit eidem Synodo plena fides, & attento præcipue tunc atque nunc vniuersalis ecclesie statu, & quod sine regia prouisione præfata perpetuandi schismatis imminerebat & immineret periculum, ac præstabatur & præstaretur sacro præfato Concilio, & consequenter vnioni ecclesie periculum manifestum, eo præsertim, quod idem dominus Benedictus sic in sua obedientia nominatus, conabatur per sibi adhibitam obedientiam iam dictum prius Concilium multiplici-

ANNO  
CHRISTI  
1416.

\*vbi

ter impedire, & impediisset de facto, si mandatis eius obtemperatum fuisset. Quod inter alia ex eo satis apparet, quod etiam \* cum obedientia sibi subtracta fuerat, per literas suas prælatis & capitulis, ne ad dictum sacrum Concilium accederent, inhibere præsumpsit. Ideo eadem sacrosancta Synodus ex certa scientia, & causa debite cognita, ad perpetuam rei memoriam, & vt cunctis clareat rei veritas bene gesta, declarat ordinationem prædictam a prædicto Ferdinando quondam rege iuste & legitime editam & promulgatam fuisse, & per eum ac illustrem principem dominum Alphonsum, eiusdem domini Ferdinandi primogenitum & regem modernum, seruatum. Ipsamque præsentis decreto dictis ex causis approbat & confirmat, decernitque illam per omnia debuisse & debere ab omnibus fidelibus obseruari, iuxta ipsius seriem ac tenorem.

*Concilium reuocat quamdam constitutionem Petri de Luna, quæ incipit, Ad futuram.*

Eadem quoque sancta Synodus Constantiensis quamdam constitutionem dudum (vt dicitur) a dicto domino Benedicto sic in sua obedientia nuncupato editam, quæ incipit, Ad futuram rei memoriam. In dierum successu crescente malitia sic videmus mundum, &c. & finit, Datum Massiliæ apud sanctum Victorem decimoquarto Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno decimotertio: declarat nullatenus comprehendere casum regie ordinationis prædictæ, consequenter reges ipsos dictam ordinationem condendo, promulgando, obseruando, vel obseruari faciendo, etiam alios obseruatores eiusdem contra dictam constitutionem in aliquo non venisse, ipsamque, si & in quantum regie ordinationi præfatæ in casu præmisso factæ, aut promulgatæ, aut obseruatoribus eius quomodolibet obuiaret, tamquam impeditiuam in hac parte vnionis ecclesiæ, inueteratique schismatis nutritiuam, omniaque inde secuta decernit & pronuntiat nullius fuisse aut esse roboris, efficaciam vel momenti.

Ad quæ decreta, statuta, ac etiam declarata reuerendissimus dominus præsidens cardinalis Viuariensis nomine totius huius sacri Concilii, vt procurator & promotor eiusdem, ac etiam reuerendus in sacra pagina Philippus de

Y y iij

Axdallia magister pro serenissimo Aragonum rege, sua & vice aliorum eiusdem domini regis coambiatorum ibidem presentium, petierunt a singulis sanctæ sedis apostolicæ protonotariis, & aliis notariis singularum nationum huius sacri Concilii, sibi retineri publica instrumenta ad futuram rei memoriam. Post prædicta dictus reuerendissimus dominus cardinalis vicecancellarius nomine totius Synodi respondit, Placet.

Super quibus omnibus & singulis præmissis magister Henricus de Piro promotor & procurator prædictus, nomine procuratorio quo supra, ac etiam egregius in sacra pagina magister Philippus de Axdallia pro serenissimo domino rege Aragonum, a protonotariis & notariis dicti Synodi sibi fieri petierunt vnum vel plura instrumenta ad perpetuam rei memoriam. Præsentibus reuerendissimis in Christo patribus dominis Ioanne Ostiensi, de Vrfinis, Bononiensi, Venetiæ, Ragusino, Aquileiensi, Senensi, Pisano, Veronensi, Cameracensi, Tricaricensi, Placentino, sancti Marci, de Chalanco, de Fuxi, Salutiarum, de Branckasis, de Flisco, de Columna, de Comitibus & Florentino, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, ac regum, principum, dominorum, prælatorum, communitatum, vniuersitatum, collegiorum & studiorum ambasiatoribus, aliisque Christi fidelibus in multitudine copiosa.

### SESSIO XXXI.

**D**IE Mercurii vltima suprædicti mensis Martii, in ecclesia maiori Constantiensi fuit sessio generalis celebrata; & in eadem sessione fuit dictum officium Missæ de Spiritu sancto per reuerendissimum patrem dominum Martinum episcopum Aprutinem: reuerendissimus vero pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis, huiusmodi sessioni præsidebat. Litanis autem & aliis orationibus expletis per dictum dominum præidentem, more solito pontificalibus indutum, legebantur per dominum Antonium episcopum Concordiensem, & Petrum de Polonia, successiue ea quæ sequuntur.